

mensurationem absolvitur, novit. sed quando Modum etiam applicandi determinatas per mensurationem rationes intelligit. Applicatio verò determinatarum rationum potissimum in Causarum & Effectuum mutuâ deductione consistit. Cum enim Effectus omnes, quatenus sunt, determinatæ rationis sint, juxta illud: *Pondere, Mensurâ, Numero, Deus Omnia fecit*, quem in effectibus suis realibus eat. semper imitatur homo, quatenus operatur rectè; necessum est Causas, nempe secundas per quas effectus producit, etiam esse determinatæ rationis in operando, proportionatas nimirum ad effectum producendum, ut pro tanto effectu tanta causa sit, & tantæ causæ tantus effectus respondeat, quod omnes operationes in Mundo, tum naturales tum morales testantur, id quod non nisi per determinatam i. e. mathematicam cognitionem expediri potest. Determinata proinde seu mathematica Cognitio non tantum simplicem rerum mensurationem tangit, & nudum mensurandi modum concernit, sed præcipuè Causationum ipsarumque Operationum Rationes prosequitur, & Modum ex determinatis Causis determinatos effectus producendi, vel vicissim ex determinatis effectibus determinatas Causas eliciendi, profitetur, in quo utroque Summa Sapientiæ humanæ consistit.

## CAPUT II.

### *De formali quantitatis ratione.*

#### §. I.

Est igitur *Quantitas* formaliter & abstractè spectata nihil aliud, quam *determinata ratio qualitatis*, aut purius *ta-*  
*litaris*